# QVÆSTIO MEDICA
## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
### IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS III. MARTII
### M. IACOBO GAVOIS Doctore Medico, Moderatore.

865

*An vt corporis sic animæ senectus?*

HOMO mirabile quoddam animal est, ex duabus partibus longè diuersissimis compactum, animâ veluti numine quodam & corpore tanquam mutâ pecude: siquidem corpore ità reliquis animalibus non præstamus, vt multis eorum dotibus simus inferiores: animâ verò adeò diuinitatis sumus capaces, vt ad eam proximè naturâ immortali liceat accedere. Singularis est illius substantia, seiuncta ab his visitatis notisque elementis, incorrupta, quæ corpore veluti carcere inclusa, sui generis non immemor, cuncta agitat immota, celeritate mirabili. Vis eius excellentior in arce capitis inhabitat, tribus conspicua facultatibus, quæ per totam cerebri substantiam diffusæ, nullam præcipuè partem eius, edendis functionibus affectant. Vis memoriæ incredibilis! An cerebrum quasi cera imprimitur, & in eo rerum omnium vestigia signata sunt? Phantasia rationis imitatrix eò nonnumquam deuenit acuminis in brutis, vt admiratores sui reperiat, qui malint eorum vitæ breuitatem amplecti, quàm in suæ partem immortalitatis vocare. Mens verò summa hominis perfectio, cœlum imitatur vnde profluxit, gaudet motu, spargitur, vagatur, non multitudine non vehementiâ phantasmatum offenditur, multa intelligit absque corporeo famulatu, se ipsam intelligit, prorsus vt harum functionum nobilitate se vindicet ab iniuriâ mortalitatis.

CORPVS altera pars hominis ignobilior, quod natura fert in omnibus rebus quarũ origo terrestris, perpetuo in occasum decursu ruit, intestinâ calamitate, quam nulla humana industria potest effugere, Hæc est vicissitudo rerum quæ cœli ambitu continentur, vt stante hâc quæ quondam siderum vniformitate, in omnibus regionibus, non terræ semper eadem fertilitas, non plantis animalibusque similis vigor, nec homini quibusdam temporibus vel ætas tam longa vel statura tam vegeta; vt nullus maneat certus atque constitutus ordo, nisi quod cuncta æqualibus iustisque regulis oriantur & occidant, ortus vnius alterius interitum excipiat, & dum mori creduntur reddantur immortalia. Quod vnum etiam caduco corpori concessum est, vt pari modo adolescens & senescens, indefessâ tamen nec auis peiore sui propagatione, animæ quodammodo æmuletur æternitatem: Præmium ingens quod ei dependit anima pro hac in terris habitatione, nempè viuentis corporis origo est, insita semini, illud eius virtute generat, crescit, viget, vbi natiuum calorem moderatur, qui tamen dum gaudet ac iucundè fruitur humidi commercio, dissipat eius substantiam, quâ sublatâ pariter ipsum tolli necesse est vnáque simul animal interire.

PRIVSQVAM tamen ad exitum perducatur corpus, è tenuì ductum paruóque rudimento, per varios ætatum gradus ità venit ad summum, vt deinde paulatim deficiens senescat atque redeat eò vnde illi exordium fuit. Ætas prima mollis, in quâ vegetans virtus & humiditas præcellit; hinc sensus minus acuti, primũque temporis munus, quadrupedum more repere, hinc anno septimo vix absoluta loquendi integritas; Cùm eccè paulò validius redditum corpus, aureũ pubertatis florem fundens, generatione seminis meminit se ad interitum properare. Non ea tunc, quæ prioris ætatis innati caloris vbertas inest, quæ sensim imminuta, corpori tamen incrementum præbet ad vigesimum quintum ætatis annum, quo tempore magis prolificum semen: Inde longius procedens acrior euadit; hinc in iuuenibus regnat vigor sensuum, summáque corporis perfectio. Accedit constans ætas, occultæ diminutionis tempus: subsequitur mox ea quæ ad manifestum nos interitum præcipites agit, hebescunt in eâ sensus, membra torquentur, ciborũ instrumenta obsolescunt; vt sit hæc viuendi meta naturalis octoginta annis circunscripta, quos qui transmiserit, idẽ illi euenit quod quadrigis & stadiodromis vltra destinatũ procurrentibus.

AT inoffenso pede anima vicissitudines illas decurrit, cuius præcipua facultas mens scilicet ab omni materiæ commercio expedita semper micat, interdum ludibriis sensuum perculsa, non ità tamen quin eorum ministerio vacans, illustrior appareat, vt cùm in somnis corpore quieti tradito, ad interiora domus penetralia sese recipiens inquieta vigilat; hinc de futuris etiamnùm aliqua fides & occulta studia, mores, humores, morbi apprimè reuelantur; non videtur anima naturæ suæ magis compos, quàm cùm à corporis curâ liberatur, aut leuiori factâ sarcinâ, velut rimosæ domus diuulsis hinc inde parietibus clariores excipit luminis tractus. Quibus præcellens ingenium iis corpus imbecille, hoc contrariâ prorsus ratione sensim deficit ab summo vigore, illud ab obscuris ductum principiis ad apertam claramque lucem, processu temporis traducitur. In pueris illius vsura ferè nulla, alioquin maturè magnum ingenium vitale non est; flos ætatis periculum mentis: proximum senectuti tempus ad summam prudentiæ vim accedit: ità semper anima cum terrestri mole pugnat, vt cum eâ coniunctim viuere sine assiduo bello, dirimi nequeat sine maximo cruciatu.

CONDIMENTVM omnium ætatũ senectus, in quâ parum fœlici coniugio, robustum ingeniũ cum corpore copulatur, obnoxio quidem morbis penè continuis, sed cuius incommoda compensat vnica prudentia. Præclara facies & lacertorum robur dilapsa sunt, at viget illa generis humani moderatrix virtus: Animi imperium est, corporis seruitium; teritur hoc, augetur verò in dies cum ætate consilium virtusque maturescit; Ità nempe contraria est iuuentuti senectus, vt in pomis acerbitati maturitas. Bonarum artium atque disciplinarum peritia adolescentis est, prudentiæ laus solius senectutis, quæ si nulla fuisset, nulla etiam ciuitas extitisset: vt in senectute demùm perficiatur intelligendi vis, quemadmodum manus operâ vti non possumus statim ab ipsis ortus nostri principiis, sed vbi à natura absoluta est, sic illa virtus animæ, nisi aliquo detrimento lacera læsaque sit, eo tempore potissimùm consummatur: Quando resedit ille sanguinis feruor defœcatiores spiritus oculo mentis rerum species manifestiùs subiiciunt, qui tùm maximè acutè cernere incipiens penè liber ac solutus, quasi funeratis omnibus corporis partibus, facultates quibus ad intelligendum instructus est, nobilissimas exerit.

*Ergo non vt corporis sic animæ senectus.*

312.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS PERRAVLT parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Claudius Seguyn*, Prof. Reg.
*M. Simon le Lettier.*
*M. Sebastianus Rainssant.*

*M. Petrus Guenaut.*
*M. Nicolaus Brayer.*
*M. Cyprianus Hubaut.*

*M. Ioannes Riolan*, Prof. Reg. & prim. Reg. Matris Med.
*M. Michael Toutain.*
*M. Simon le Tellier*, Med. Reg.

